

05

A

390





DISSERTATIO JURIDICA
DE
INTERPRETATIONE
FACIENDA CONTRA EUM
QVI CLARIUS LOQVI
DEBUISET,

Occasione l. veteribus. 39. ff. de pact.

^{Quam}
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN.

FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONE BRANDENBURG. ET ELECTORALIU
PROVINCICIARUM HEREDE, & reliqua,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

Consensu Illustris Facultatis Juridicae

PRAESIDE

JUSTO HENNINGO Böhmert
Jurium Licenciato,

Die XXIV. Novembr. MDCC. horis consuetis

IN AUDITORIO MAJORI

publice disquisitioni subjcit

CAROLUS ANDREAS KERSTEN,

Magdeburgensis.

Hala, Typis CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.

UNIVERSITÄT JÜRICH

INTERPRETATION
RACIARIA CONTRA REM
QUI CLARUS LOQUI

RECTOR MAGNIFICENTISSIMUS
SERENISSIMO PRINCIPALI

FRIEDRICH WILHELM



05 A 390

CAROLUS ANDREAS





DISPUTATIO JURIDICA

De Interpretatione facienda contra
eum, qui clarius loqui debuisset.

CONSPECTUS.

Multos nescire quid sit Jurisprudencia. §. 1. Doctrina interpretandi a veteribus Jctis ex Corpore Juris petita. §. 2. Sicui & jus Naturæ. §. 3. Ambiguitas veterum Jctorum in doctrina interpretationis. §. 4. Restauratio hujus doctrinæ. §. 5. Non recte doctrina interpretandi ex jure Romano petitur. §. 6. Regula: quod interpretatio sit facienda contra venditorem & locatorem, ut & stipulatorem. §. 7. Dubia contra hanc regulam ita intellectam prout jacet. §. 8. & 9. Postea regula rectius efformata a Jctis. §. 10. Methodus dicendorum. §. 11. Regula locum habet in ambiguis & obscuris orationibus. §. 12. Quam obscuritas hic intelligatur. §. 13. Ambiguitas quotuplex. §. 14. Regula hæc locum habet, quoties alie communes deficiunt. §. 15. Regula tantum locum habet in conventionibus. §. 16. Non in judicio. §. 17. Nec ultimis voluntatibus. §. 18. Quis sit ille, qui clarius loqui debuisset, ubi simul refutatur Mantica. §. 19. Ille clarius loqui debuit, qui singularem in contrahendo quaerit utilitatem, quod exemplo stipulationis declaratur. §. 20. Applicatur. l. 41. pr. ff. de V. Obl. §. 21. Applicatur fundamentum ad donationem. §. 22. Quomodo in contractibus bilateralibus regula intelligatur, ubi simul exemplis hoc declaratur. §. 23. Si

apparet contrahentes revera dissensisse, non fit interpretati secundum naturam contractus. §. 24. In contract. mut. interpretatio fit contra eum, qui singularem intendit utilitatem. §. 25. Cur ut plurimum leges loquantur de venditore & locatore. §. 26. Judicium de vulgatis brocardicis & imprimis de L. 3. ff. de Constit. Princ. §. 27. Explicatur l. 34. ff. de Contr. E. V. §. 28. Rejicitur explicatio Bachovii, §. 29. Explicatur l. 13. qui pot. in pign. §. 30. Illotis manibus interpretationem juris Romani agrediendam non esse ostenditur. §. 32. Speciales casus subjunguntur ex JCtis nostræ ætatis addita epicrisi. §. 33. seqq.

§. I.



Quid sit Jurisprudentia, plerique se scire opinantur; verum quid sit *scire*, paucos intelligere experientia passim docet. Scilicet non raro ita quædam addiscuntur, (quod a scholis trivialibus annon originem ducat alii judicent) ut verba saltim tenere discamus, vim autem ac potestatem ipsius rei intellectui distincte insinuare negligamus. Nemo tam hospes in jure, qui non definitionem Jurisprudentiæ ex Institutionibus suis possit recitare: ast ubi penitus nervum definitionis tetigeris, non raro hic aquam hæere deprehendens. Meo quidem judicio defectus hujus causa est, quod secundum principia sapientiæ falsæ a primis annis hi, qui literis interioribus operam dant, memoriam infinitis rebus onerare cogantur, & contra a meditando revera abducantur, cum tamen veræ eruditionis leges meditationem expostulent.

§. 2. Equidem jurisprudentis officium vel binis circumscribi potest verbis, quod scilicet consistat in *interpre-*
pre-

pretatione & applicatione jurium. Ast quod verba, tot scopuli. Ut nihil jam dicam de *applicatione*, sola interpretatio tot fluctus hætenus peperit, ut si quis principia hujus doctrinæ ex ingentibus Doctorum voluminibus petere vellet, iter incertum & periculosum ingredi deberet. Deprehendebant quippe veteres JCTi, doctrinam hanc JCTo omnino necessariam esse, & jura sine hujus subsidio intelligi non posse: verum fontem hujus doctrinæ aliunde petebant & sic fluctuantes frustra ad verâ principia pervenire poterant. Plerique enim, qui manus ad scribendum admovebant, destituti erant veris principiis philosophiæ rationalis, quippe quæ nec in vulgaribus compendiis Logicisprehendebantur: & sic ad Justinianum suum reversi ex legibus ipsis artem & regulas interpretandi eruerestudebant, cum tamen non ita illotis manibus ad Leges accedere debuissent. Accedebat, quod omnis sapientiæ thesaurus latere in jure Romano credebatur, ut sic JCTo turpe duceretur aliunde artem interpretandi petere.

§. 3. Fuere fere eadem fata Juri Naturæ. Putarunt enim haud pauci, hoc ipsum non aliunde hauriendum esse, quam ex Jure Romano, cum illud ibi largissimeprehendatur. Inde tanta confusio doctrinarum juris Civilis & Naturæ orta, ut hi, qui ex Moralistis juris naturæ prudentiam scribere volebant, nihil aliud fere exhiberent, quam Legum Romanarum enucleationem, quamvis ineptam & inutilibus tricis plenissimam, quod ingentia illa scholasticorum monumenta luculenter testantur. Cum enim subsidiis veræ eruditionis destituerentur, duce quodam opus habebant, quem præeuntem sequerentur instar cæcorum.

§. 4. Sicuti ergo illi juris naturæ Doctores, vel quasi ob-

fi, obruebant lectores infinitis, confusis, male coherentibus & alienis regulis: ita & qui artem interpretandi jura concinnabant, ex singulis legibus fere novas construebant regulas & numerum adeo adaugebant, ut positis hisce manu ductionibus vulgatum illud non abs re diceretur: In Jcto requiri *ferream caput*, quo tam vastissima volumina memoriae tradere; *auream crumenam*, quo sibi tot tantaque luminaria juris comparare & *plumbecum podicem*, ad designandam patientiam in evolvendis & perlegendis ejusmodi Heroibus. Notus adhuc hodie & fere in omnium Practicorum manibus est *Pater Practicantium* Cardinalis Mantica, qui operibus vastissimis interpretationis doctrinam complexus tum in tr. *de Tacit. & ambiguis convent.* tum etiam *de conject. ultim. volunt.* & sic in singulis materiis juris aliam interpretandi viam eligi debere credidit. Simile argumentum tractavit Simon de Prætis, quem etiam plerumque in hac materia tanquam ducem sequi solent. Unde & adhuc hodie regulas passim audiuntur: aliter pacta, aliter ultimas voluntates esse interpretandas. Celebrantur quoque in hac arte vulgo commentatores ad tit. ff. *de V. S. & R. J.* quo in specie pertinet Alciati tractatus *de Verb. Significat.* qui tamen re verà nil nisi doctrinam interpretationis continet. Alios præterea laudare solent in hac materia ut Stephanus de Phedericis, Constantinum Rogerium, Albericum Gentilem, aliosque quorum catalogum hic recensere, otiosum duco.

§. 5. Cum vero Grotius Juris Naturæ doctrinam emendare suscepisset, simul aggressus est doctrinam *de interpretatione*; illamque ad certas concinnas & pauciores regulas deducere conatus est. Quem præeuntem subsecuti postea sunt alii, imprimis Pufendorffius & Excellent. Dn. Thomaf. tum in *Jurispr. Divina*, tum in primis in *de Ver-*

Ver=

Vernunft-Lehre parte secunda, ubi mira concinnate hanc doctrinam paucis regulis absolvit, ut jam non amplius fere 20 capite hic quidem indigeamus. Aggressi quidem adhuc sunt plures hunc laborem ut Johan. a Felde, Vincen-
 ius Placcius, Eichelius aliique: Sed & hi multitudine sua nos obruunt, & plerisque hæcenus adoratis regulis tenaciter inhaerent.

§. 6. Quamvis itaque hæc doctrina hodie fatis re-
 staurata prædicari possit, dolendum tamen, quod com-
 munitè fere hæc principia negligantur & sperantur, vul-
 gata autem illæ, quas se ex jure Romano hausisse gloriantur,
 ubique adhibeantur, quæ tamen vel conclusiones ex
 illis principiis sunt, vel male ob defectum verorum prin-
 cipiorum interpretandi explicantur & applicantur. Ma-
 neat suus honos juri nostro: ast qui doctrinam interpre-
 tandi inde unice petere studet, ne perverse omnia agit,
 & veros fontes deserit. Leges determinant actiones civi-
 um, iisque agenda præscribunt: quæ autem sunt opus ju-
 dicii & intellectus, ibi cessat legum officium & philosophiæ
 hoc unice adscribi debet. Aliunde ergo hæc doctrina pe-
 tenda & ad Jurisprudentiæ studium afferenda.

§. 7. Qui itaque ubique legibus circumvallati incedunt,
 imprimis, ubi de interpretatione pactorum agen-
 dum est, formare solent regulam ex *l. veteribus 39. ff. de pact.*
 ubi dicitur: *Veteribus placet, pactionem obscuram vel ambi-
 guam venditori, & qui locavit nocere, in quorum fuit potesta-
 te legem apertius conscribere.* Ex qua lege inferunt: Ergo
 interpretatione in pactio ambigua facienda est contra *ven-
 ditorem & locatorem.* Cur autem contra venditorem & lo-
 catorem? Rationem in promptu habent: quia venditoris
 est & locatoris legem contractui conscribere, non emto-
 ris & conductoris. Anton. Faber *in Ratio. ad cit. l.* Sim-
 pli.

plicius adhuc videtur incedere Glossa, ubi ait: quia veteribus placet, ut dicitur in lege, *ergo & nobis debet placere*. Stet scilicet pro ratione Veterum voluntas vel potius auctoritas, quod etiam tanquam notabile alibi observat Bald. in *l. ult. C. de Edict. D. Adr. toll.* Nec videtur amplius de hac propositione dubitandum, postquam & aliis textibus idem inculcatur: Sic *l. 172. ff. de R. J.* dicitur: *In contrahenda venditione pactum contra venditorem interpretandum est*. Et Paulus in *l. 21. ff. de Contrah. Emt. V.* fat aperte idem probat *labeo scripsit*, inquit, *obscuritatem pacti nocere potius debere venditori, qui id dixerit, quam emptori, quia potuit re integra apertius dicere*. Et Pomponius in *l. 33. cod. Si non apparent, quid acti sit, tunc id accipitur, quod venditori nocet*. Locatori & venditori porro adjungunt *stipulatorem*, quod & his clarius loqui debuisset, & sic contra illum facienda sit interpretatio. Nam dicitur in *l. 26. ff. de reb. dub. cum quaeritur in stipulatione, quid acti sit, ambiguitas contra stipulatorem est* & in *l. stipulatio 38. §. 18. de V. Obl.* idem repetitur: *In stipulationibus cum quaeritur quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda*. Addit hujus decisionis Celsus rationem in *Quidquid. 99. ff. eod. qui stipulatori liberum fuit verba late concipere*.

§. 8. Jam vero qui semper verba clara legis clamant nec vim & potestatem ejus intuentur, videant, quibus se involvant dubiis. Primo enim quaero, cur praecise interpretatio facienda contra venditorem & locatorem? cur non potius contra emptorem & contraductorem, nam & hi plerumque legem contractus conscribunt, & sic apertius loqui debuissent? Num enim praecise in illorum potestate est legem apertius conscribere? Utrique enim videtur idem imputari posse. Unde & Grönvvegen *ad l. 39. de pact.* seductus ex male intellecta lege putat, hanc legem esse abrogan-

rogandam, quia in utriusque partis potestate positum sit, legem apertius dicere. Num veroglossam sequamur, quæ autoritatem veterum hic pro ratione assumunt, *quia scil. ita veteribus placuit?* Nata videtur hæc ratio in asylo ignorantia. Hinc ineptientem Glossam hic non adoremus, quod quidem per seculi libertatem omnino licitum est. Revera enim legem hanc non intellexit, quod patet ex casu, quem pro declaratione huic legi subjecit: *Vendi tibi, inquit, equum & dixi sic: vendo tibi equum, qui est sine vitio & morbo, excepto, quod non ascendit arborem: non autem ascendebat pontem ligneum. Unde credebam, quod essem excusatus, ut non tenerer. Tamen non sum excusatus. Unde sit interpretatio contra me, cum potui apertius hoc dicere.* Rimum teneatis amici. Jctus evidenter agit de obscura & ambigua pactione, quæ potest sana ratione in utramque intelligi partem. Glossa exemplum interpretationis cavillatoria & dolosa substituit, de qua tamen nullum verbum in lege, ut ulla dubitatio: cavillatoria enim interpretatio statim in oculos incurrit & semper rejicitur, de qua plura exempla occurrunt apud Grotianum *de J. B. & P. lib. 2. c. 16. §. 2. & 6.* & Dn. Tomaf. *in Jurispr. div. l. 2. c. 12.* Pufend. *de J. N. & G. lib. 5. c. 12.* Illam ergo minime hic rangimus. Ejusdem farinae est exemplum, quod affert Gryph. *in œconom. leg. l. 1. c. 24. num. 215.* de venditore equi cæci, dicente: *flahre Mogen non equi, sed emtori oculos, intelligente.* Certe si ita lex intelligenda foret, totam doctrinam de *reservationibus mentalibus* hic adducere in subsidium possemus. Assumamus ergo casum ex ipsis legibus: *Vendidit quis fundum. Emptor vero in emtione dixit, accedere Stichum servum.* Cum vero venditor plures servos ejusd. nominis haberet, & sic ambiguum esset, quis ex pluribus accedere deberet, cum de alio emtor de alio venditor

tor fenserit, hic jam quæstio oritur: Contra quem interpretatio facienda? Si vulgatis Regulis inhærete velimus, dicendum contra venditorem, quia veteribus ita placuit. At non placuit ita veteribus. Paulus enim & Labeo contra emtorem ajunt hic interpretationem faciendam in *L. 34. pr. ff. de Contrah. Emt. V.* Siccine ergo Paulus in *l. 21. eod.* sibi contradicit, aut oblitus est regulæ generalis, ibi a se traditæ? Cujacius quidem ut hanc contradictionem tollat, *1. Obs. 10.* alibi que corrigit textum, & putat legendum esse, *quem emptor intellexerit.* Ast talis conciliatio nimis violenta est, & ipsi textus rationi & intentioni Pauli repugnat, ut inferius docebitur. Recte proinde reprehendit hanc emendationem Fornerius *2. select. 18.* & Bachov. *ad Treutl. V. 1. disp. 6. th. ult. lit. b.* Nihilominus tamen videtur Cujacius sententiam approbare, Dion. Gothofred. *in not. ad cit. l. 34. lit. g.* putans, haud dubie hic emtoris esse electionem ob verba textus, cui tamen infra satisfaciemus. Videtur idem Paulus in *l. 13. qui not. in pign.* aliam decisionem Regulis supra positis contrariam formasse, ubi cum nihil in casu ibi propositio aperte dictum esset, contra emtorem facit interpretationem, quod & agnoscunt interpretes, dum ajunt fieri hic interpretationem pro venditore contra *l. 39. de pact.* vid. Gothofr. *in not. ad c. l. 13. lit. n.*

§. 9. Sed nec quod de *Stipulatore* asserunt, caret dubio. Nam & Ulpian. qui *in l. 38. §. 15. de V. Obl.* generalem de stipulatore tradiderat regulam, videtur in *l. Eum qui Kalendis 41. pr. eod.* contrariam decisionem inde efformasse in casu, quando quis Kalendis Januariis stipulatus est, nec addidit quibus Januariis? Primo enim dicit spectandum esse, quid inter eos acti sit. Si autem hoc non appareat, dicendum esse, primas Kalendas Januarias spectandas: at vero ita in favorem stipulatoris fit interpretatio. Ut huic

huic dubio Glossa *ad l. 39. ff. de pact.* occurrat, putat hoc i-
deo a Jcto esse ita decisum, *quia alias stipulatio inutilis red-*
deretur, si de ultimis Kalendis mundi intelligeretur. At ita
regula ista non est universalis. Et quis unquam ita cavil-
latorie hanc stipulationem interpretabitur, ut de ultimis
mundi Kalendis intelligenda sit? Apparet ergo rationem
harum legum §. 7. recensitarum aliunde esse petendam.
Accedit quod in Prætorii stipulationibus, si ambiguus
sermo acciderit, Prætoris sit interpretatio, *sec. L. 9. ff. de*
stipul. Prætor. Cur vero & hic non fit interpretatio contra
stipulatorem. Ac denique ipse Celsus in *L. 99. ff. de V. obl.*
non adstipulatur generalitati regulæ, quod interpretatio
fit facienda contra stipulatorem, sed caute dicit: *FERE se-*
cundum promissorem interpretamur. Quod & ulterius de-
claret, notanter subjicit: *Nec rursus promissor ferendus est,*
si ejus intererit de certis potius vasis forte aut hominibus actum.
Quæ verba indicant, aliquando contra promissorem esse fa-
ciendam interpretationem. Declarat hoc exemplo Pom-
ponius in *l. si mihi ito. in f. ff. eod. si stipulatus fuero de Te:*
Vestem tuam, quæcunque muliebris est, dare spondes? quæ-
rebatur, quomodo hic interpretatio facienda & respondet
Jctus, Magis ad mentem stipulantis, quam ad mentem
promittentis id referri debere, non quid senserit promif-
sor. Num igitur semper contra stipulatorem facienda in-
terpretatio?

§. 10. In tantas difficultates se conjiciunt, qui absque
ulteriori examine & indagatione cæco pruritu verbis le-
gum inhaerent, & ita tamen reapse leges deferunt, dum
vim & potestatem non inquirunt, in qua tamen anima le-
gis consistit. Cum itaque Jcti viderint, regulas has ita
prout in nostro jure jacent, generaliter intelligi & ap-
plicari non posse, efformarunt inde sequentem cer-

te aptiorem: *Interpretatio in pactione ambigua & obscura est facienda contra eum qui clarius loqui debuisset.* Et hæc tenus omnino Regula magis commode proponitur. Nam sequitur rationem decidendi, quam JCI ubique pro fundamento agnoverunt. Sic Papin. in *L. 39. de pact.* dicit in quorum (scil. Venditoris & Locatoris:) *fuit potestate legem apertius conscribere.* Et Paul. in *L. 21. de contr. E. V. quia potuit re integra apertius dicere.* Et Celsus in *l. 99. d. V. Obl. quia stipulatori liberum fuit verba late concipere.* Sic itaque non confugiendum hic ad auctoritatem veterum, nec præcise ad *Venditorem locatorem* aut *stipulatorem* respiciendum esse patet, sed potius ad hanc rationem decidendi: quæ summa nititur æquitate, quam ita Anton. Fab. in *ratio- nal. ad ff. ad L. cit. 39. de pact.* his exponit verbis: *Illud sane in jure nostro perpetuum est, nunquam favendum esset ei, cui aliquid potest imputari, quia, ut est in Juris Regula, quod quis ex culpa sua damnum sentit, sentire non videtur L. quod quis 203. de R. J. Imputari autem potest ei, qui legem apertius dicere potuit.* Cum igitur hæc ratio sit pectita ex principiis juris Naturæ, apparet hanc regulam non præcise juri Romano propriam esse, sed etiam pactis publicis a Gentibus celebratis, quas tamen nulla juris Romani tenet communitio, applicari posse, ut hinc hujus regulæ usus etiam in privatis negotiis foret, licet jus Romanum illam plane omisisset. Secundum principia ergo juris Naturæ, unde deducta est hanc regulam explicare & Leges Romanas inde interpretari convenit.

§. II. Quæ cum ita sint, videndum jam erit (1) quando hæc regula locum habere possit? (2) quibus in materiis juris? (3) quis sit ille qui clarius loqui debuisset? (4) quare Leges imprimis hic respexerint ad Venditorem locatorem & stipulatorem? (5) An revera dissensus inter JC-
tos

tos veteres hicprehendatur? & [6] quomodo hæc regula ad casus speciales sane applicari possit? quæ membra methodum jam dicendorum suppeditabunt.

§. 12. Ad primum membrum, *quando videlicet hæc regulam locum habere possit*, respondent leges §. 7. citatæ duplici ratione: (a) quando sermo est de pacto *ambiguo & obscuro. l. veteribus 39. ff. de pact.* Obscurum autem pactum rursus duplici sensu dici potest, prout *obscuritas* est vel *explicabilis* vel *inexplicabilis*. Hæc est, quæ nullo modo intelligi potest & sic omne boni interpretis officium hic cessat. Illa vero, quæ certum & perspicuum sensum nullum habet, leges tamen bonæ interpretationis omnis non respuit. Cujac. *ad rubr. ff. de Reb. dub.* Hic statim Doctores in diversa abeunt, utrum utraque acceptio ad hanc Regulam applicari possit nec ne? De posteriori non dubitandum: Sed de priori seu obscuritate inexplicabili gravius occurrit dubium. Equidem Gothofred. in *not. ad L. 39. de pact. lit. 5.* non alienus videtur esse ab affirmativa sententia, dum pactum obscurum explicat, *quod nullo modo intelligi potest*, quocum etiam facit Cujacius teste Anton. Fabro in *Ration. ad cit. L. 39. & Wesemb. in Paratitl. ad tit. de pact. n. 10. in f.* eodem Modo pactionem obscuram cum Gothofredo explicans. Apparet hoc porro ex differentia, quam suppeditare solent inter ambiguum & obscurum. Ita enim Gothofr. *cit. l. lit. t. In ambiguo: Utrum dictum, in obscuro quid dictum sit, queritur.* Rejicit hanc sententiam Anton. Faber in *Ration. ad cit. l. 39.* & quidem ex hoc sat prægnanti fundamento, quod obscurum inexplicabile pro non scripto potius habeatur, ita ut ex eo contractus totus inutilis reddatur; quamvis *L. 16. de Condit. Instit.* ab ipso hunc in finem allegata hoc minime inferat, quam vulgo de *perplexa conditione* accipiunt, quæ tamen ita perplexa non est,

ut intelligi, quicquid etiam Jctus sentiat, non possit. vid. Dn. Thomaf. *Jurisprud. Div. lib. 2. c. 12. n. 182.* Fundamentum vero hujus sententiæ rectius desumi posset ex eo, quod in obscuris inexplicabilibus omnes regulæ boni interpretationis cessent, adeoque & hæc, quam leges nobis suppeditant. Vid. Dn. Thomaf. *in Jurispr. Div. l. 2. c. ult. num. 177.* Tale obscurum esset, si in instrumento antiquo voces reperirentur plane non intelligibiles, quæ tamen rei nervum tangerent, item si non legibiles, prout hoc deductum a Præf. *in Diss. de Script. non legib.* Quomodo enim hoc in casu dicere possem, interpretationem esse contra eum faciendam qui clarius loqui debuisset, cum nihil exinde intelligi, nec ullus sane sensus inferri possit? Conf. Cujac. *in Comment. ad L. 14. d. leg. 1. lit. e.*

§. 13. Intelligimus proinde hic talem pactionem, quæ quidem quodammodo obscura est, sed adhuc sensum & explicationem recipit. Videtur hoc ipsum indigitare voluisse Jctus in *l. 39. de pact.* dum dicit *Pactionem obscuram vel ambiguam*, ut ita posterior vox explicet priorem, & talis hic intelligatur obscuritas, quæ ambiguum admittit sensum & hoc vel illo modo intelligi potest, prout bene animadvertit Cardin. Mantic. *in Lucubrat. Vatic. de tacit. & ambig. convent. lib. 1. tit. 15. n. 13.* Quamvis ergo subtilis quædam distinctio excogitari possit inter pactionem ambiguam & obscuram, quoad hanc talem regulam *συνονομας* hæc accipienda esse aparet. Nam & alias in jure obscurum sæpe dicitur ambiguum, ut apparet ex *l. si fuerit legatum 10. in fin. ff. d. reb. dub.* & quin omne ambiguum recte quoque obscurum dici possit, ipsi dissentientes fatentur vid. Gothofr. *in not. ad l. 39. de pact. lit. t.* Apparet hoc quoque ex exemplo, quod adducit Id. *ad l. 21. de Contrah. Empt. vend. lit. y.* Vendidi inquit, alicui agrum duodecim libris & di-

& dixi, me tribus annis hujusmodi quantitatem recipere velle. Completo igitur anno petebam 4. libras. Ille respondit, se quatuor annis totum soluturum. Quoniam ergo non perspicue dixi in venditione, quomodo accipere debuerim, mihi met nocui. Hic certe pactum tam obscurum quam ambiguum dici potest.

§. 14. Est vero ambiguitas secundum Manticam *cit. l. n. 15.* triplex, alia *juris*, alia *facti*, alia *personæ*. De *juris ambiguitate* hic non sumus solliciti sed ibi alia regulæ applicandæ vid. *l. 10. 12. 13. ff. de LL. Facti* vero ambiguitas hic imprimis consideranda, quia de pactione ambigua, quæ factum continet, hic sermo est, & hoc intuitu ambiguitatem personæ sub facta comprehendere possumus, quando in pacto oritur dubium circa personam.

§. 15. Deinde (b) ad quæstionem membri primi & hoc annotant leges, tunc demum huic regulæ standum esse, *quoties regule communes interpretandi alia deficiunt, nec appareat, quid inter contrahentes actum sit.* Observavit id accurate Pomponius in *L. 33. ff. de Contrah. E. V.* in exemplo desumpto ex pacto hoc venditione adjecto: *flumina sillicidia uti nunc sunt, ut ita sint.* Dubium oriebatur, quomodo hoc esset intelligendum? Respondet Jctus, primum spectari oportere *quid acti sit* (quod ex communibus regulis interpretandi judicandum) *si id non appareat, tunc id accipi, quod venditori nocet,* conf. *l. 3. ff. de Reb. cred. l. Nepos 125. ff. de V. S.* Clarius rem exprimit Ulpian. in *l. 34. ff. de R. J.* ubi in stipulationum & cæterorum contractuum interpretatione hunc ordinem observandum esse docet; ut sequamur 1] quod actum est. 2] Si hoc non liquido appareat, quod in ea regione, in qua actum est, frequentatur v. c. si de florenis dictum sit, & dubitetur, de quibus, an de Misnicis an Hollandicis, an aliis, regio in qua contractus celebratus,

bratus, decisionem dabit. 3) Si nec regionis mos appareat, quia varius fuit & incertus, ad id redigendam esse summam, dicit Jctus, quod minimum est, quod & in *l. c. ff. eod. itidem & generaliter quidem asserit, Semper, inquit, in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Ceterum & Paulus, qui alias ad nostram provocare solet regulam, non diffitetur, communes præcedere debere. *Ita obscuris, inquit in l. 114. de R. J. inspicit solet, quod veresimilius est, aut quod plerumque fieri solet. conf. c. inspicimus 45. de R. J. in 6. vel ut dicitur in l. 56. eod. quod benignius est conf. Mantica in tr. ne tacit. & ambig. convent. Lib. 2. tit. 4. n. 104.* Unde nec repugnat, quando Julianus in *L. 67. ff. eod.* dicit, *quoties idem sermo duas sententias exprimit, (h. e. quoties ambiguitas occurrit) ea potissimum excipitur, quæ rei gerendæ aptior est.* Communis enim interpretandi Regula est, quod interpretatio sit adornanda secundum substratam materiam, id quod Julianus in lege allegata innuit. Simili modo & quod Ulpianus in *L. 80. de V. Obl.* asserit, regulam nostram non evertit scil. *quotiens in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi quo res, de qua agitur, in tuto sit.* Eodem modo & Paulus in *l. 172. ff. de R. J.* præmittit quidem regulam nostram, quod scil. in contrahenda venditione pactum contra venditorem sit interpretandum. Sed mox subjicit communem: *Ambigua autem intentio ita accipiendâ est, ut, res salva actori sit.* Liceat rem declarare unico exemplo: Scriptum erat in lege locationis: *redemptor sylvam ne cadito, neve cingito, neque quem cingere cadere urere finito.* Accidebat, ut redemptor aliquem earum rerum quid facere videret, nec prohiberet, quærebatur, an eo nomine teneretur? Nervus controversiæ huc redibat an ad hoc ipsum ex pacto obligatus esset? Ambiguum enim, vel ipso notante Alfeno in *l. 24. ff. locat.* hoc pactum est, cum verbum

summo

bum

bum *finendi* duplicem admittat significatum 1] prohibere præfens facientem 2] Sylvam ita custodire, ne quis talia facere possit. Num ergo hic statim ad nostram regulam con- volandum est: Sine dubio enim sic interpretatio facien- da foret contra locatorem, qui apertius rem exprimere debuisset. Sed non ita Alfenus. Inquirit primum ex ratio- nabilibus fundamentis, quid inter contrahentes actum sit, & ex communibus Regulis bonæ interpretationis conclu- dit, *locatorem potius id videri voluisse, ut redemptor non solum, si quem casu vidisset sylvam cadere prohiberet, sed uti curaret & daret operam, ne quis caderet.* conf. B. D. Struv. *Ex. 6. th. 52.*

§. 16. Huic primæ quæstioni succedit secunda ex al- tero membro: quibus in materiis juris locum hæc Regula habeat, an indistincte in omnibus, an vero tantum in cer- tis materiis? Si quæ hætenus dicta sunt, accuratius con- siderentur, apparet, sermonem hætenus tantum fuisse de *conventionibus* ambiguis & obscuris, non de aliis. Quæri- tur proinde, annon etiam hæc Regula applicari possit ad illa, quæ in iudicio sunt ab uno litigantium prolata? E- quidem Dd. non raro argumentum a contractibus ad ju- dicia formare solent ceu putet ex Everhard. a Middelb. *loc. top. a Contr. ad judic.* Imo & inter veteres JCtos hic dissensum fuisse apparet *ex l. inter stipulantiem 83. §. 1. d. V. Obl.* ubi Aristo argumentum a contractibus ad iudicia ad- mittebat, refutatus tamen ibidem a Paulo. Docet e- nim, esse aduersitatem rationis inter contractus & judi- cia. Si in stipulatione dissensus occurrat inter contrahen- tes, veluti quod stipulator de alio Stichō senserit, & pro- missor de alio, nihil actum erit, ex notissima regula juris, quod stipulatio ex utriusque consensu valeat, quo defici- ente, stipulatio vitatur. Inter litigantes autem non a-
C
dest

dest consensus utrobique de iudicio suscipiendo, cum plerumque iudicium in invitum reddatur & hinc rei in iure nostro dicantur *fugientes*, quod fugiant iudicia. Ponamus ergo casum: Alfenus vindicat Stichum a Cajo. Hic cum obtineret in iudicio, & Cajo condemnaretur Stichum ei restituere, accipit a Cajo Stichum sed alium, quam de qua controversiam moverat Alfenus; quæstio nova oriebatur, quis Stichus esset restituendus, num is, de quo actor, an de quo reus sensisset? Si ex nostra regula argumentari liceret, dici posset, actori imputari potuisse, quod non fuerit locutus apertius, adeoque contra eum faciendam interpretationem. Paulus tamen inde argumentari non posse liquido ostendit, dum asserit, actori hic potius credendum esse, ut is Stichus petitus videatur, de quo actor senserit: *alioquin* addit, *semper negabit reus se consensisse*. Idem & Celsus, notante Ulpiano in *l. solemus 61. ff. de iudic.* asserit, periculosum esse existimans ex persona rei metiri, de quo actum sit inter litigantes, ob rationem: *quod semper reus, ne condemnetur hoc dicet, non convenisse*. Imo Ulpianus in *L. 66. ff. eod.* plane in iudiciis contrariam huic nostræ affert regulam, *si quis* inquit, *ambigua intentione vel oratione usus sit, id quod utilius ei* [qui dixit, sive actori, hujus enim est intentio, non rei, nisi quando excipiendo actor fieri dicitur] *est accipiendum est*. Qui enim profert aliquid in iudicio semper in sui favorem protulisse videtur
B Dn. Brunnem. *ad cit. L. 66. n. 5.*

§. 17. Indeliquido apparet nostræ regulæ in iudiciis non esse usum, sed tantum in conventionibus. Rationem diversitatis in §. *precedenti* jam quodammodo ex ipsis legibus vidimus. Declarat vero hanc ulterius Anton. Faber. in *Ration. ad L. 39. de pact.* his verbis: *Aliud est loqui de eo, quod unus tantum contrahentium aut litigantium dixerit sive*
in

in iudicio, sive extra iudicium. Aliud vero de eo, quod a pluribus conventum sit. Priorē namque casu nemini sit injuria cum verba ex proferentis voluntate accipiuntur. Posteriori autem casu fieret injuria ei, cui pactum commune est. conf. Barbos. ad. l. 66. n. 3. ubi itidem asserit, ideo aliud esse in contractibus, quod ad duorum voluntate dependeant. Verum hæ rationes diversitatis non adeo apertæ sunt, sed infra demum declarandæ, ubi inquirendum erit, quis dicatur ille, qui clarius loqui debuisset.

§. 18. Multo minus applicari potest ad ultimas voluntates. Hæ enim semper benignius sunt interpretandæ *l. 24. ff. de reb. dub. & ut magis testamentum valeat quam pereat. l. 12. eod.* Nam & hic agitur de unius testatoris scil. voluntate interpretanda, secus ac in conventionibus. Et huc puto applicari posse regulam Maciani J. Cti in *l. 96. de R. I. quod in ambiguis Orationibus maxime sententia spectanda ejus, qui eas protulisset.* Est enim desumpta hæc regula ex libro duodecimo fideicommissorum, unde credibile est, J. Cti hanc regula in materia fideicommissorum usum fuisse. Quare in explicatione verborum testamenti semper recurrendum est ad testatoris mentem *l. non aliter 69. de Leg. 3.*

§. 19. Hisce ita prælibatis ulterior (3) disquisitio instituenda erit, *quis sit ille, qui clarius loqui debuisset in conventionibus ambiguis & obscuris?* Per exempla Vendoris locatoris & stipulatoris hic responderi non posse supra §. 8. evictum est. Mantica in *Lucubr. Vat. de tac & ambig. convent. lib. 2. lit. 4 n. 99.* hoc exponit ita: *pactum ambiguum debent intelligi adversus eum, qui ex eo nititur,* quam regulam multis Dd. autoritatibus circumvallat. Declarat autem hoc ita: *ut si appareat, a quo verba fuerint prolata adversus eum debeant intelligi: si non appareat, præsumantur*

tur ab eo prolata, cui prodesse possunt. Ut adeo ambiguum pactum semper debeat intelligi contra eum, qui ex eo commodum velit reportare. Sed obscurum per æque obscurum declarat. Quilibet enim litigantium se fundat in pacto, & uterque verba pacti in sui favorem interpretatur. Actor dicit ego ita intellexi pactum, reus vero: & ego ita, veluti: Vendo Javoleno meas ædes. Javolenus autem ex favore in me mihi concedit; ut possim excipere hypocauftum. Post controversia oritur, de quo hypocaufto actum sit? Cum hoc non appareat, quæritur contra quem sit facienda interpretatio. Ego me fundo in pacto & dico: Javolenus mihi indefinite promisit hypocauftum. Ergo imputandum ei, quod non locutus sit apertius. Javolenus contra se fundat in pacto & dicit: ego tibi promisi indefinite hypocauftum, & mihi electionem reservavi, cur tu non fuisti locutus apertius. At, rehero, tu verba protulisti & spontanee mihi hypocauftum promissisti, ergo verba pacti contra te interpretanda. Quid ergo juris? Certe ex hujusmodi interpretatione nihil certi hic determinari posset. Dicis forsan, at Javolenus hic vult commodum reportare ex sua interpretatione. Ergo secundum Manticeam facienda contra eum interpretatio. Idem & Javolenus regerit. Et tu commodum ex tua interpretatione quæris, dum mihi deterioris conditionis hypocauftum assignare intendis, quo ipso lædor, quippe qui hoc intuitu tibi ædes meas vendidi ut commodum hypocauftum in ædibus venditis mihi reservarem. Unde & Anton. Faber. *in Ration. ad l. 39. de pact.* quidem reprobatur illam sententiam, sed tamen nullam substituit commodiorem interpretationem.

§. 20. Relictis ergo omnibus aliorum interpretationibus rem bene explanari posse autumo secundum ea, quæ publi-

publicis prælectionibus *ad Cod. tit. pact.* proposuit Excell. Dn. Thomafius. Substituam autem loco fundamenti hanc Regulam: *Ille in pactione ambigua & obscura clarius loqui debuisset, qui in illa voluit singularem & extraordinariam querere utilitatem, quando scilicet lis est, de illa utilitate, quam querere voluit.* Quam regulam ut declarem, supponendum, contractus esse vel mutuos, ubi uterque contrahentium quærit utilitatem, vel gratuitos, ubi alter tantum contrahentium. In gratuitis v. c. in stipulatione, ut plurimum utilitatem quærit stipulator, hinc Leges supra §. 7. allegatæ generaliter dicunt, contra stipulatorem esse faciendam interpretationem *l. 38. §. 15. de V. Obl. l. 26. de reb. dub. l. 99. de V. Obl. Dixi ut plurimum.* Nam contingere potest, ut promissoris *singulariter* intersit, de certis potius rebus actum fuisse, quo casu ipsi imputandum, quod cum in promissione singularem intuitus sit utilitatem, non locutus fuerit apertius. Et hoc liquido ex dato fundamento ita explicat Celsus in *l. quicquid 99. ff. d. V. Obl.* dum ait: *Nec rursus promissor ferendus est, si NB. EIVS INTERERIT, de certis potius vasis forte aut hominibus actum.* Et ita sine difficultate jam intelligi potest decisio Pomponii in *l. 110. ff. de V. Obl.* ubi quis ita stipulatus erat: *Vestem tuam, quæcunque muliebris est, dare spondes?* Quid si jam promissor solitus fuerat muliebri quadam veste uti, (quod non infrequens apud Romanos fuisse, testatur exemplo Senatoris cujusdam Pomponius in *l. inter vestem 33. ff. de Auro Argent. mund.*) an illa etiam debetur? respondet JCtus affirmative, quod generaliter, quæcunque muliebris est, vestem promiserit. Sed opponebat promissor, se noluisse illam vestem promittere. Respondetur ex nostra Regulæ Cum tua intererat, hoc genus vestimenti sub hac generali stipulatione non comprehendi, cur non locutus apertius,

stipulationemque generalem restrinxisti. Ergo hic contra te facienda interpretatio.

§. 21. Cæterum non necesse est, ut regulam datam cum commentatoribus limitemus, pro stipulatore tunc esse faciendam interpretationem, si alias exitum res non reperiret. Formarunt sibi hanc limitationem ex *l. 41. ff. de V. Obl.* ubi quæstio proponebatur, quomodo interpretatio facienda, quando quis Kalendis Januariis stipulatus est, nec addidit, quibus Januariis, an primis an secundis an tertiis? Respondet JCTus, primas Kalendas Januarias spectandas? Cur vero primas? cum stipulator hic clarius loqui debuisset, quippe peculiarem utilitatem respiciens, & sic contra eum facienda interpretatio videtur. Movit forsân hæc ratio communiter interpretes, ut hic limitationem suæ regulæ sibi fingerent, quam & Glossa supra §. 9. citata agnoscit, ne alias dicamus de ultimis mundi Kalendis interpretationem esse faciendam. Respexit sine dubio Glossa, quam etiam retinet Colleg. I. Arg. *ad tit. cit. n. 41. ad l. quotiens 80. ff. de V. Obl.* ubi JCTus ait: *quotiens in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, qua de agitur, in tuto sit.* Sed si hanc rationem, quæ tamen adæquata non est, applicamus ad præsentem casum, ne sit quidem erit inter limitationes referenda. Supra enim jam prælibavi, Regulam nostram tunc demum locum habere, quando communes & vulgares deficiunt, quæ tamen hoc in casu ita non deficeret, si lex illa applicari posset. Verum, nisi me omnia fallunt, puto Ulpianum cum Sabino ex alio fundamento, & quidem ex nostra dicta regula decisionem formasse. Fundamentum hujus decisionis in §. 1. *l. cit.* subministrat inquiens: *Ex quo apparet, dici adjectionem pro reo esse, non pro stipulatore, scilicet in dubio.* conf. B. Dn. Brunnem. *ad cit. l. 41.* Idem Ulp. in *l. 17. ff. de*
R. J.

R. 7. hoc repetit, inquit: *In stipulationibus promissoris gratia tempus adjucitur.* conf. l. 50. de Obl. & Act. Cum itaque in dubio promissoris gratia tempus adjiciatur, & sic ille in adjectione diei singularem sectetur utilitatem, quid aliud superest, quam ut dicamus, promissorem sibi nocere, si non curet, ut dilucide exprimatur tempus, quo solvere debeat. Cum itaque in præsentis casu obscure & indeterminate positum sit tempus solvendi, nec appareat, de quibus Kalendis actum sit, contra promissorem facienda interpretatio. Ex quo simul evidens, quam hiulca sit ratio communis, quando asserunt, interpretationem esse faciendam contra eum, qui verba protulit. Nam hac lex loquitur de stipulatore, qui Kalendis Januariis stipulatus fuerat, & sic verba protulerat tanquam interrogans, nec tamen contra eum fit interpretatio.

§. 22. Sicuti jam regulariter contra stipulatorem facienda est interpretatio, ita idem applicandum ex eadem fundamenti dati ratione ad *donationem*. Regulariter enim & ibi donatarius suam quærit utilitatem, non donans, ergo si ambiguitas in donatione occurrat, contra eum facienda interpretatio. Huic vero assertioni directo contradicit Coll. Jur. Arg. *tit. de pact. n. 84.* & ambiguitatem pacti in donatione potius semper nocere debere donatori statuit. Verum fundamentum, quod in hac regula supponit, minus evidens, & inadæquatum est, unde non potuit non talis emergi conclusio. Scilicet respiciendum esse putat ad eum, qui legem vel pactum dixit, juxta verba l. 39. ff. de Pact. ibi: *in quorum potestate fuit legem apertius conscribere.* Jam vero exinde infert, quod dominus rei suæ tantum legem dicere possit & non is, qui a domino accipit, adeoque & donatori tanquam domino imputari, quod rei suæ non apertius legem dixerit. Verum hoc modo tolle-

tollerentur plane illæ leges, quæ regulariter interpretati-
onem faciendam esse contra stipulatorem asserunt: nam
& promissor in stipulatione rei suæ deberet tantum legem
dicere, & sic contra eum potius regulariter facienda in-
terpretatio, quod tamen absurdum & contra rationem ju-
ris. Deinde nec rationem adæquatam in his verbis *l. 39.*
cit. latere, postea §. 25. declarabitur. Et denique, si aliqua
vis in hoc argumento superesset, ad contractus bilaterales
tantum ratio decidendi pertineret, de quibus etiam *l. 39.*
cit. tantum loquitur. In his enim facilius quilibet contra-
hentium pactum adjicere potest, & sic utilitatem suam
quærere. In unilateralibus autem negotiis unus regulari-
ter quærit utilitatem, & sic omnino ipsi imputatur, si non
apertius locutus. Hoc non nego, posse contingere, ut ali-
quando contra donatorem interpretatio sit facienda, si
nimirum circa res donatas peculiare interesse respexerit,
eodem modo, ut in stipulatione: at pro regula id minime
venditari potest.

§. 23. In contractibus *mutuis* ubi scilicet ab utraque
parte quid præstandum, itidem fundamentum datum ap-
primi applicare potest. Cum vero in his uterque contra-
hentium utilitatem suam quærat, & in contrahendo atten-
dat exemplo emtionis venditionis, ubi emtor viliori com-
parandi, venditor cariore distrahendi votum gerunt *l. si. vo-*
luntate 8. C. de rescind. vendit. respicientum erit, qua rati-
one regula in hisce negotiis sit intelligenda. Videlicet u-
tilitas est vel *ordinaria*, quæ ex natura contractus cujus-
cunque vel rei dependet; vel *extraordinaria*, quam con-
trahentes *singulariter* intendunt v. c. per pactum contractui
adjectum, quæ alias naturæ contractui non inest. Quod si
quæstio est de ordinaria utilitate, secundum naturam con-
tractus interpretatio est facienda, cum illa semper subin-
telli-

telligatur, nisi aliter res fuerit dilucide pactis mutuis definita. Sicuti jam in emtione venditione perfecta, antequam res vendita tradatur, periculum ejus ad emtorem spectat. §. 3. *Inst. de Emt. vend. tot. t. ff. de per. & commod. rei vendit.* ita non dubium, quin si ita in instrumenta vinditionis scriptum sit: *Promitto me rem venditam non deterioratam, sed prout nunc est, hoc vel illo die restitutum,* hoc ipso casus seu damnum fatale venditori præjudicari non possit. Si enim hoc intendisset emtor, clarius id exprimere debuisset, cum verba illa tantum eo respiciant, ne ipse venditor sua culpa vel dolorem deterioret. Neque enim renunciatio jurium aliter quam specificè fieri potest, cum ad non cogitata non extendatur. Si enim alter contrahentium hoc intendisset, merito loqui apertius clarius & magis specificè debuisset. Exinde quoque dependet decisio quæstionis, [quod incidenter saltim addo, quamvis alias fidejussio, quæ stipulatione perfici debet, ad contractus unilaterales referenda] an fidejussores censeantur renunciassè beneficio excussionis & divisionis, si fidejussionis instrumento inserta sit clausula, *sämmtlich und sonderlich, einer für alle, und alle für einen als ein selbstschuldiger?* Video hic Dd. in diversa abiisse. Gal. *lib. 2. obs. 28. n. 3.* renunciationem hæc clausulas involvere autumat, quod alias verba illa nihil operentur, cum tamen in contractibus nulla clausula deberet esse otiosa. Tuentur quoque hanc sententiam Mev. *9. Dec. 187.* Coler. *de Proc. Execut. P. 1. c. 10. n. 395.* Caterum illam in praxi non esse receptam attestatur Illustr. Dn. Stryk. *de Caut. Contr. S. 2. c. 6. §. 22.* quam etiam sequuntur Excell. Dn. Schilt. *in pr. Jur. Rom. Ex. 48. §. 30.* Struv. *Ex. 47. th. 44.* Cothman. *vol. 1. resp. 22. & 2. resp. 26.* quam etiam jurium principiis convenientiorem utique existimo. Sunt enim verba hæc ambigua & duplicem ad-

D

mit-

mittunt sensum, vel ut videantur renunciassse suis beneficiis, veletiam ut illud videantur expressisse, quod alias naturæ negotii convenit. Cum vero in tali ambiguitate interpretatio fieri debeat secundum naturam contractus, dicendum est, fidejussores id expressis verbis promittere voluisse, ad quod alias ex natura contractus erant obligati. Si enim hoc intendisset creditor, ut fidejussores suis beneficiis renunciare deberent, certe merito contra eum facienda interpretatio, quod singularem utilitatem quærens, non locutus fuerit apertius.

§. 24. Quod vero diximus interpretationem secundum naturam contractus in tali casu fieri debere, intelligendum hoc modo, *si ex illa ambiguitate non appareat, contrahentes revera dissensisse*: Nam ita contractus ex defectu consensus non subsisteret, quod etiam in stipulationibus merito locum habere debet. Talis ambiguitas occurrit in *l. 83. §. 1. ff. de V. Obl.* Ubi stipulator Stichum stipulando de alio senserat & de alio promissor, quo casu nihil actum fuisse dicitur. Ut itaque hic male applicaretur regula in *l. 38. §. 18. eod.* quod in stipulationibus cum quæritur, quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda sint; dissensus enim contrahentium excludit omnem interpretationem & indicat, nihil actum esse. Idem in emtione venditione observandum, quando contrahentes dissentiant vel in pretio vel in ipsa merce vid. *l. in venditionibus 9. ff. de contrah. Emt. V.* Quando ergo ambiguum est, utrum contrahentes in venditione intellexerint Florenos Misnicos, an vero Hollandicos, primo respiciendum, an revera hic dissenserint & emtor hos, venditor alios intellexerit, quo casu emtio esset nulla. Si vero non constaret de dissensu, veluti quod lis oriatur inter utriusque heredes, tunc interpretatio ex natura ei formari

mati posset, habito respectu ad pretium & rem ipsam & alias circumstantias, quæ indicabunt, de quibusnam florenis sermo inter contrahentes fuerit.

§. 25. Ubi vero controversia incidit de *utilitate extraordinaria*, quæ non ex natura rei aut *contractus* dependet ibi in genere interpretationem faciendam contra eum asserimus, qui illam utilitatem singularem & extraordinariam quæsit, sive sit emtor sive venditor, sive locator sive conductor. Tunc enim ex merito recte imputatur, quod *legem* h. e. pactum, quo utilitatem illam sibi quæsit, *non conscripsit apertius*. Et huic respicit jam *Jctus* in *l. 39. de Pact.* ut ita non præcise sit respiciendum ad eum, qui pactum protulit vel conscripsit contractum, sed qui ita protulit verba, ut per illa sibi singulariter prospiceret. Et ita commodam jam interpretationem recipiunt omnes leges, quæ torferunt valde doctorum plurimorum ingenia.

§. 26. Equidem ut plurimum Leges asserunt, contra venditorem & locatorem interpretationem fieri debere: ut in *l. 9. de Pact. l. 21. § 33. ff. de contr. E. V.* Verum non eo sensu quasi inde generalis regula sit extructa, sed sicuti Triboniano non infrequens fuit, in compilatione Legum mirifice textum dissiccare, & omisso casu, rationem decidendi, quæ tamen ex casu, cui adjecta erat, sapius limitationem accipit, tamen nobis obtrudere, ita & cum hisce legibus comparatum esse censeo. Apparet hoc evidentissimo ex *l. 21. cit.* ubi textus indicat, quæsitum Labeonem fuisse de casu, quo venditor per pactum adjectum specialem intenderat utilitatem, & ita jam respondet, *obscuritatem pacti nocere potius debere venditori, quid id* (pactum per quod sibi prospicere voluit) *dixerit, quam emtori* &c. Deinde cum regulæ in jure desumi soleant ab eo, quod plerumque fieri soleat *l. 3. 5. 6. ff. de LL.* plerumque autem con-

tingere soleat, ut venditor aliquid excipiat in venditione, ut & locator, adeoque singularem utilitem quærat, hinc etiam factum, ut aliquando JCTi generaliter hac in materia sint locuti, ut in *l. 172. pr. de R. J.* supponentes tamen semper terminos habiles, ceu Papinianus in *l. 39. de pact.* clare addit: Indicat enim, sibi sermonem esse de casu, ubi venditor & locator legem contractui scripserant, & sic suam utilitatem quæsiverant, inde etiam addit: *in quorum fuit potestate legem apertius conscribere.* Pari ratione etiam in *l. 33. ff. de contr. E. V.* casum ejusmodi supponit JCTus, ubi venditor legem contractui dixerat, scil. hanc: *flumina stillicidia uti nunc sunt, ut ita sint.* Ambiguitas hujus pacti in eo latitat, quod hoc vel ita possit intelligi, ut etiam emtor stillicidia suscipiat adificiorum vicinorum, vel ut vicinis necessitas sit imposita stillicidiorum excipiendorum vid. *l. si. arborem. 17. §. 3. ff. de S. præd. Urb.* Si jam controversia oriatur inter emtorem & venditorem & ille asserat, ædes emtas servire, sibi autem liberas ædes esse venditas, contra venditor regerat, se satis hoc explicasse in pacto adjecto, dicitur venditori nocere debere pactum in *l. cit. 33.* Cum enim hic liberas ædes tradere & nisi liberæ sint, in venditione hoc omnino exprimere clare debeat, quia eo ipso & pretium minuitur, illa vero formula, quæ apud veteres frequens erat. vid. Briffon. *de formul. lib. 6. p. 553.* hunc sensum in dubio non habeat, *cit. l. 17.* recte dixit JCTus contra eum fieri debere interpretationem: cum enim per hanc clausulam singulariter sibi voluerit prospicere, ne postea servitutum fundo inhærentium nomine conveniretur ab emtore, imputatur merito ei, cur hoc non fecerit apertius.

§. 27. Ex hisce igitur apparet, quamsculte in ejusmodi regulis, quæ in jure nostro occurrunt, versari debeamus,

mus, nec verba captare, aut cum vulgo dicere *verba generalia etiam generaliter sunt explicanda*. Ubi enim ex præjudicio præcipitantiæ animam legis h. e. rationem non scrutamur, sed verbis tantum prout jacent tenaciter inhæremus, sæpe in intricatissimas difficultates incidimus, ex quibus emergere vix valemus. Optandum foret, ut majori prudentia & peritia compilatores in construendis & conglomerandis legibus usi fuissent, nec nobis tam sæpe laceratas leges obstruxissent, ex quo tamen non potuit non istiusmodi male cohærens (nisi penitus aliunde lumen accipiat) structura legum oriri. Possêt id pluribus declarari exemplis, si hanc digressionem instituti & brevitatis ratio non cohiberet. Unicum saltem, ex quo etiam nostrum fundamentum quodammodo infringi posse videtur, in medium producere ère esse duco. Suggestit hoc Javol. in *l. 3. ff. de constit. Princ.* ubi asserit, *beneficia imperatoris esse quam plenissime interpretanda*. Hoc posito, dabitur casus, ubi pro eo fieri debeat interpretatio, qui singularem utilitatem per beneficium Principis sibi quærit. At vero juxta nostram regulam merito Regula invertenda, & contra eum interpretatio facienda. Quid igitur dicemus? num vela retractemus? Id quidem sana ratio non admittit, cum regulam tam optime cum legibus cohærere ostendimus. Ante omnia ergo de mente hujus legis esset dispiciendum. Verum hanc incuria compilatorum nobis obstruxit, ut vix hariolari liceat, de quo casu illa sit intelligenda. Nam & hic pro more antecedentia omisit, ex quibus tamen hæc tanquam consequentia restringi deberent. Si enim ita crude Regula accipiat, uti quidem eam nobis exhibuit Tribonianus & rationi & communi praxi repugnat. Concedunt enim communiter interpretes, beneficia ex mera gratia concessa a Principibus posse revocari, cæteris paribus,

Carpz. 1. Dec. 87. n. 16. Enenckel. de *privil.* l. 3. c. 2. Myl. ab Ehrenb. de *Princ. & Stat. Imp. c. 49 §. 10.* Qui ergo potest beneficium revocare, non concedet, ut quam plenissime contra se interpretatio fiat. Imo licet privilegia conventionalia (quæ tamen an beneficiorum, quæ ab Indulgentia Principis proveniunt, nomine venire possint, valde dubito) supponamus, tamen rursus ex natura contractuum & pactorum interpretatio esset facienda. Transeunt enim in naturam contractus, Myl. ab Ehrenb. *cit. l. §. 11.* & sic eodem cum privatis jure uti deberet Princeps concedens privilegium. Unde vix probari potest sententia Obrechtii de *Jurisdic. disp. 7. th. 48.* existimantis, contra dominum fieri interpretationem debere, si Vassallus pagum aliquem cum jurisdictione titulo oneroso acceperit. Cum enim Vassallus singularem utilitatem querere voluerit, loqui apertius debuisset. Deinde adhuc primaria quaestio esset excutienda, an & qua ratione interpretatio doctrinalis in beneficiis Principum locum habere posset? Nam & Paulus ipse in *l. ex facto 43. pr. ff. de V. & Pup. substit.* fatetur, beneficia principalia ipsos Principes solere interpretari. Imo adhuc evidentius Neratius in *l. 191. ff. de R. J.* respondet, Principum esse estimationem, quem modum beneficiorum suorum vellent esse. In horum ergo arbitrio positum erit privilegium restringere & extendere. Imo & praxis hic communiter repugnat. Quin & practici ubique videntur privilegia & immunitates esse stricti juris vid. *Mev. 3. Dec. 309. n. 8. & 2. D. 173. n. 1. & 4. Dec. 321. n. 4.* & quidem ex satis firma ratione, quod illa, quæ contra rationem juris recepta sunt [qualia sunt privilegia] non sunt producenda ad consequentias *l. 14. ff. de LL.* Quid notius, quam concessa venatione simpliciter tantum transire minorem, & concessa Jurisdictione simpliciter, tantum competera bassam? In hoc

hoc enim plerosque consentire palam est. vid. allegati ab III. Dn. Stryk. de Uf. Mod. tit. de Jurisd. §. 13. Schilt. Ex. 6. th. 10. ubi asserit, rationes a dissentientibus afferri solitas, inter quas etiam illa l. 3. cit. est, videri τὸ ἐν ἀρχῇ αἰρεῖν. Aut ergo regula illa falsa est, aut vero dicendum, omnino illam aliter intelligendam & maxime restringendam. At si nostræ assertioni non contradicit.

§. 28. Superatis ergo tot difficultatibus, quas alias hic offendimus, facilius jam aditus, erit ad l. 44. ff. de Contrah. E. V. quæ alias tam mirifice vexata est. Dixi jam superius, tentasse in illa lege correctionem Cujacium minime tamen approbandam. Ubi vero ulterius jam in ἀνάγνωσις hujus legis inquiri, deprehendo Colleg. J. Arg. tit. de pact. n. 84. valde probare Cujacii correctionem, adeo ut asserat, nullum idoneum exemplum vel argumentum ab iis, qui Cujacii mutationem impugnarunt, hæctenus allatum esse, quo ostenderetur, emtorem quoque legem contractui dicere posse. Sed supra jam ostendi fallax hoc argumentum esse, imo qui saltim legem attentius perlustrat, exemplum in promptu habet, ubi etiam emtor legem contractui dicere possit, uti in ipsa analysi hujus legis dicemus. Ipse Gothofredus in not. eandem lectionem Cujacii approbat: motus ex verbis legis: *nec refert quanti sit accessio*, & post: *plerasque res aliquando propter accessiones emimus*. Sed illæ rationes aliunde spectant, nam duplex quæstio in textu continetur. Casus est talis: Cajus a Sergio emerat fundum, pactusque erat, accedere debere fundo Strychum servum. Cum jam de tradendo servo Sergius admoneretur, & vero plures Strychos haberet, apparuit, de alio emtorem & de alio venditorem sensisse, hinc duplex quæstio oriebatur: 1) *utrum contractus valeret* 2) *si valeret, contra quem in hoc casu facienda interpretatio*. Ad primam respondet Paulus fundi

fundi venditionem valere, cum sufficiat, quod de re principali consenserit, licet de accessoria ambiguitas orta esset. Sed obieciatur, posse saepe plus esse in accessorio, quam in principali: *Plerasque enim res, pergit Jctus, aliquando propter accessiones emimus, sicut cum domus propter marmora & statuas & tabulas pictas ematur*, ut ita ad principale non semper respici possit in quaestione: utrum contractus valet. Sed & hoc rejicit Paulus per verba: *nec refert quanti sit accessio*, ut hinc minus recte a Gothofredo haec verba ad alteram quaestione sint traducta. Eviato ergo, quod valeat emtio venditio, jam porro respondet ad alteram quaestione, scilicet contra emtorem in hoc casu faciendam esse interpretationem. Nec aliter decisio formari salvis juris principiis potuit, cum, ut in casu ostensum, hic emtor per pactum, quod venditioni adjecerat, (ceu optime etiam observat Accurf. *in not. ad l. 34. cit.* licet hoc divinatorium putet sed frustra Bachov. *ad Treutler. §. 29.* citandus) singularem utilitatem sibi quaesierit, ut hinc merito ipsi imputetur, quod non locutus fuerit apertius. Miror proinde Colleg. Jur. Arg. *cit.* laeserere casum non esse dabilem, quo emtor quoque legem contractui dicere possit, cum tamen in textu allato ille clarissime contineatur, & infra §. 30. & 34. adhuc alii occurrent.

§. 29. Sed nec Bachovius hic intactus relinquendus, qui quidem *in Not. ad Treutl. P. 1. disp. 6. th. ult. lit. b.* correctionem Cujacii improbat, sed tamen hujus textus verum fundamentum non tangit. Audiamus eum, *Aequitas, inquit, plane suadet, ut inspecie d. l. 34. venditori electio detur: quia cum servus partem faciat rei venditae, venditoris autem sit judicare pretium rei venditae, etiam jus erit dicere, quam rem vinditam velit, ne alias ipsi per emtoris electionem iniqua conditio inferatur.* En vagum aliquod & male cohaerens funda-

fundamentum subtilissimi alias J.Cti. Recurrit ad æquitatem aliquam singularem, quod ultimum refugium esse solet eorum, qui neryum rei & negotii tangere nesciunt. Nihil hic singulare, nihil contra jus strictum, sed omnia jurium principiis communibus conformia in *cit. l. 34.* occurrere, jam. § antec. secundum datum fundamentum demonstratum. Quid ergo opus, in singulari æquitate hic refugium quærere? Et quænam demum illa cerebrina æquitas? Scilicet *quod venditoris sit, judicare pretium rei venditæ.* Male sane secundum Accursium. Potest hoc verum esse, quamdiu emtio venditio non est perfecta; sed ne sic quidem solius venditoris est, sed etiam sine omni dubio emtoris, quomodo enim alias in idem placitum tandem concurrere possent? Ast ubi sermo est de *emtione jam perfecta*, ubi in nostro casu, quis tam ineptus foret, qui diceret, jam venditoris esse pretium judicare? Id vero minime concendendum. Sed pergit porro: *Facit quod in l. 90. de Contrab. E. V. eadem ratione dicitur, si conventum sit sexaginta-dolia ex centum accessura, venditoris esse, dare quæ velit.* Certe gratias ago Bachovio, quod mihi novum argumentum firmandi meam sententiam suppeditet. Ille sane male inde concludit: Ergo æquitas singularis in nostro textu latitat. Revocemus legem ad nostrum fundamentum & res plana erit. Emit emtor ex pluribus doliis sexaginta, nec expressit, quænam sibi sint tradenda. Quod si ejus interfuit, de certis potius vasis actum esse, ut simili in casu dicitur in *l. 99. de Verb. Obl.* merito ipsi singularem utilitatem sectanti, imputandum, quod non locutus apertius, nec ab initio ventionis selegerit dolia, quæ emere vellet. Revera ergo hic fluctuat subtilitate sua, quod & ex sequentibus apparet. *Et igitur, pergit, regula superior ex l. 33. ff. de Contr. E. V. patietur limitationem, si ratio & æquitas diver-*

E sum

sum suadeant, aut ad alia non substantialia contractus aut potius ad ambiguam orationem & propositionem erit referenda. Sed nec æquitatem singularem, uti dictum, hic agnoscimus multo minus limitationem, quia, nec in *d. l. 33.* regula continetur, sed tantum exemplum ad regulam refertur. Exempla autem non exhauriunt naturam regulæ. Altera responſi, quam fluctuante animo adjungit, adhuc rem magis involvit. Dicit regulam *d. l. 33.* ad alia non substantialia esse referendam. Sed unde hoc? magis hoc divinatorium dicere possemus, ac quidem illud, quod Accursio imputat. Et nescio fane, an casus in *l. 33. cit.* possit loqui de non substantialibus contractus emtionis, cum eodem modo de accensione servitutum loquatur, uti quidem *l. 34.* Denique quod regula ad ambiguam orationem sit referenda, extra controversiam est, & supra satis demonstratum. Sed monstret, quæſo Bachovius, in *cit. l. 34.* non esse ambiguam orationem. Ambiguum enim certe erit, quod in alterutram partem dici potest. Miror fane, acutissimum alias JCrum nihil minus impleviſſe hic, quam officium boni interpretis.

§. 30. Sed adhuc scopulus superest superandus, qui & non raro interpretes offendere sœvit. Occurrit hic in *l. insulam 13. ff. qui pot. in pign. hab.* ubi Paulus talem format casum: *Insulam (antea scilicet locatam pro annua pensione) tibi vendidi & dixi prioris anni pensionem mihi sequentium tibi accessurum, pignorum ab inquilino datorum jus utrumque secuturum.* Hic concurrunt duo pacta: alterum de *lucranda pensione anni prioris*: alterum de *pignorum ab inquilino datorum communiõne.* Oriebatur contraversia, si pignora ad utramque pensionem non sufficerent, cui nam hoc nocere deberet, utrum emtori an vero venditori. Respondet JCr, Nerva Proculus & Paulus, jus omnium pigno-

gnorum primum ad venditorem pertinere, ob rationem: *quia nihil aperte dictum esset, an communiter ex omnibus pignoribus summa pro rata servetur, si quid superesset, ad se* (emtorum:) Quis vero hic apertius loqui debuit? Sine omni dubio emtor. Est enim hic quæstio de usu pignorum pro annua pensione datorum. Cum autem tot sint debita, quod annuæ præstationes, & sic pignora ad antiquius debitum referenda, male fecit emtor, quod, si hoc intendere, ut summa ex omnibus pignoribus pro rata servaretur, & sic de usu communi pignorum etiam non sufficientium ad utramque pensionem quilibet pro rata participaret, id non apertius expresserit. Sectari enim singularem utilitatem voluit contra rationem pignorum: Ergo & clarius loqui debuisset. Unde & colligunt hanc regulam: *conventio hæc ut pignora pertineant ad utrumque, intelligitur eo ordine, quo solvi debitum principale debet, nisi aliud ad eum*, quæ tamen tantum est conclusio Regulæ nostræ supra datæ. vid. Salgado de Samoza in *Labyr. p. 1. c. 10. n. 33.* Bartol. & Dion. Gothofr. *ad cit. l. 34.*

§. 31. His ita jam secundum leges bonæ interpretationis resolutis, apparet, nullum quoad hanc materiam in nostro jure occurrere antinomiam, aut decisionem dissonantem, sed omnia plana & certa constare ratione, quin potius interpretum incommodam explicationem ad multa dubia & infinitas difficultates vitam patefecisse. Simul inde constat, quam vana sit persuasio eorum, qui optime jus Naturæ ex legibus Romanis addisci posse autumant, nec necesse esse, ut quis, antequam ad sacra juris Romani accedat, prius demum imbuatur principiis veris juris Naturæ. Hoc enim demum est, ordinem rei pervertere, omissisque fontibus consectari rivulos & illotis manibus opus aggredi. Sunt utique leges Romanæ pleræque conclusi

clusiones ex principiis juris Naturæ: at qui conclusiones rite interpretari & ex principiis deducere intendit, nã principiis illis jam antea tinctus & imbutus esse debet. Nec video qua ratione quis in interpretatione harum legum jamjam ex communi principio explanatarum secure progredi possit, nisi Juris Naturæ prudentiam, ex qua JCr̃i Romani conclusiones illas deduxerunt, in subsidium & auxilium vocaverit.

§. 32. Nihil jam superest, quam ut ostendamus qua ratione regula à JCr̃is nostri temporis fuerit ad casus speciales applicata, quod tamen paucis exemplis tantum ostendam. Nam omnes conclusiones inde deducere & coacervare, esset infinitum, imo forsan otiosum, cum principiis bene positis, conclusionum series in promptu sit.

§. 33. Manifesti juris est, nomine cesso vel in solutum dato, verum tantum non etiam bonum nomen esse præstandum *l. si nomen 4. ff. de act. & Hered. vend.* quod tamen limitatur in *d. l.* nisi aliud conventum sit. Hinc quæstio exsurgit: an hoc credatur factum, si ex pacto debitor, qui cessit, in se ejus debiti exactionem receperit, *Das er wolle die Einfoderung für Gerichte thun?* Respondet *Mev. 1. Dec. 182.* primitus ad mentem paciscentium respiciendum esse, & unde illa appareat, deducit plenius. Si autem de illa non constet, superest ut inquiramus, quomodo interpretatio sit facienda; scilicet contra eum, qui in solutum accepit. *Sibi enim*, inquit recte *Mevius cit. l. imputare debet, qui in solutum accepit, quod legem* [seu pactum per quod singularem intendebat utilitatem scil. ut cedens nominis periculum susciperet] *non dixerit apertius, ideoque contra eum fieri interpretatio.*

§. 34. Quæstio est, an verba in Contractu venditionis: *Das Haus solle verkauft seyn eigenthümlich, quitt und*

und frey ohn einige Beschwerden, significant immunitatem ab oneribus publicis, an vero tantum libertatem a nexu quodam speciali? Prius certe in ambigua oratione, ut hic, dici nequit, cum talis formula nunquam eo sensu usurpari solita sit, ut vendita ab oneribus publicis immunita fiat. Et licet forsan emtor hoc intellexerit, imo etiam intenderit, tamen contra eum utique interpretatio erit facienda, quia iis verbis singularem utilitatem querere voluit Mev. 3. Dec. 180. Rursus ergo occurrit hic casus, ubi interpretatio contra emtorem facienda, sicuti in l. 34. ff. de contrah. E. V. Dissentit quodammodo B. Dn. Brunnem. ad l. 39. de pact. hunc casum ex Mevio proponens. Addit tamen ibidem alium casum ex Cujac. ad L. publica. §. ult. ff. de pos. si quis fateatur penes se habere meam pecuniam sc. plus minus 100. thalerorum, ubi interpretationem contra eum faciendam esse qui posuit loqui clarius asserit.

§. 35. Proponit idem Mevius 7. Dec. 373. aliam quaestionem; *utrum vendita domo simul adjacens domuncula eive Bude sub venditione comprehendatur, supposito, rescribi non posse quid ea de re dictum sit?* Varie hæc res decidi potest. Si constat domunculam esse ædium pertinens, simul intelligitur vendita, & ita interpretatio contra Venditorem facienda, quod hanc non exceperit, si sub venditione illam comprehendere noluit. Si autem hoc dubium sit, puto hic contra emtorem fieri debere interpretationem, cum ille merito hoc casu singularem utilitatem intendens debuisset loqui clarius.

§. 36. Illam vero conclusionem, quam asserit Borcholt. p. 2. conf. 16. p. 104 puto plane invertendam esse. Dicit videlicet, Privilegium a Principe per modum contractus inferiori concessum contra Principem esse interpretandum. At cur non etiam contra privatum, si hic singularem in-

tenderit utilitatem, quod communiter fieri suevit. Sed de hoc casu plenius jam actum supra §. 27.

§. 37. In jure feudali quaestio movetur, utrum dominus sine mentione pretii de feudo aliquem investiens possit postea pretium pro feudo exigere? Hoc evidens est, & ex natura feudorum constat, quod regulariter per se & sua natura feudum non sub praetextu pecuniae i. e. occasione ejus, sed solo amore & honore domini ejus benevolentia acquiri debeat Finckelthaus. *Feud. contrav. disput. 2. th. 4.* adeoque circa conventionem & speciale pactum non inest feudo, ut pecunia pro eo praestari debeat Struv. *Synt. jur. feud. c. 4 aph. 15. n. 2.* Unde & plurimi feudum emptum improprium dicunt, quod quidem jam in medium relinquo. vid. interim Finckelth. & Struv. aliique citati in Gothofr. Anton. *jure feudali. disp. 1. §. 7. in not. lit. f.* ibique sententia Excell. Dn. Jo. Sam. Stryk. Illud interim certum est dominum pretium exigere non posse. Si enim hanc singularem utilitatem intendisset, quae ut dictum, citra conventionem non inest feudo, clarius loqui & pretium exprimere debuisset: hinc fit contra eum interpretatio. Da. Beier J. C. Tus Lipsiensis *in delin. Jur. feudali. c. 3 §. 38. seqq.*

§. 38. Cum aliquando quaestio moveretur, utrum impensas pro lapidibus molaribus ferre deberet locator an conductor molendini? exacte Mev. 4. *Dec. 41.* hanc quaestionem excussit secundum illa, quae hactenus exposuimus. Primo, inquit, sequendum esse quod dictum, si de eo non constat, quod in ea regione consuetudinis; Ubi nec hujus certitudo, impensam esse onus locatoris, quia non fructus sed ipsius rei est & praecipua pars molendini sunt lapides molares. Hinc porro infert locatori esse imputandum, quod legem contractui non apertius dixerit. Referendus etiam huc ille casus, quem secundum nostram regulam

lam decidit 6. *Dec. 393.* de constituente solvere pro alio si facta cum ipso liquidatione, & discussis rationibus constitisset, ipsum debere, ubi quærebatur, an reo mortuo, antequam rationes discuterentur, nihilominus constituens conveniri possit, quod negavit, cum stipulator hic clarius loqui debuisset, si hoc intendisset.

§. 39. Cæterum cum sæpius accidere possit, ut titulo locati concedatur alicui jurisdictio, non raro controverti solet: an etiam merum videatur concessum imperium, si de hoc in literis concessionis haud expressa fuerit facta mentio, Carpzov. *P. 2. C. 4. Def. 6.* cum Colero & Menochio hoc affirmat, ne scilicet confusio Jurisdictionum oriatur, contra *l. 23. C. de Testam. Ac imputet sibi*, inquit, *locator, aliusve concedens quod legem contractui non dixit apertioem, ut proin merita fiat contra ipsum interpretatio.* Videmus hic applicatam esse *l. 39. ff. de pact.* prout communiter i. e. secundum verba, accipit suevit, dum contra locatorem interpretationem fieri debere in hoc casu Carpzovius asserit. Sed ab hac sententia haud pauci recedunt, ut Struv. *Synt. Jur. Feud. c. 6 aph. 18. n. 4.* Illustr. Dn. Stryk. *Us. Mod. tit. de Jurisd. §. 13.* Mischner. *Dec. 23. n. 37.* Affirmantium opinio maxime in eo quoque fundamentum suum quærit, quod ex legibus Romanis de moderna jurisdictionis forma non sit censendum Mev. *4. Dec. 290. num. 7.* Id quidem utique concedendum est: sed superest tamen illud dubium, quod & hodie jurisdictio sit vel superior vel inferior, & sic distinctas recipiat partes, & quod superior graves arduasque contineat causas & sic merito specialem concessionem requirat, cum talia in dubio non præsumantur facile concessa. Ea enim in generalem concessionem non veniunt, quæ: quis verosimiliter non fuit concessurus Fab. *in C. lib. 3. tit. 12. def 17. n. 8.* Quibus præsuppositis, invertendam puto regulam

gulam Carpzovii; & dicendum contra conductorem esse interpretationem faciendam, quod singularem utilitatem respiciens non fuerit locutus apertius. Atque sic etiam exemplum haberemus, ubi contra conductorem esset facienda interpretatio. Possent etiam ex pactis Gentium publicis, foederibus, instrumentis pacis, exempla addi, & hujus regulæ usus demonstrari, sed id quidem instituti & temporis ratio jam non fert, cum talia omnia facile secundum hæc tenus dicta decidi & executi possint.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Legitimatio effectum habet, etiamsi tantum sponsalia intervenerint, & unus ex desponsatis ante nuptias mortuus sit.

II.


Non vero effectum habet, si matrimonium in articulo mortis, ubi spes nulla vitæ superest, contractum.

III.

Distinctio in contractus bonæ fidei & stricti juris unice moribus & statui Romanorum convenit.

IV.

Subtilia in jure plerumque inutilia.



05 A 390

ULB Halle
004 210 59X


3



V.17







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

K

TIO JURIDICA
DE
ETATIONE
CONTRA EUM
RIUS LOQVI
BUISSET,
teribus. 39. ff. de pact.
Quam
GNIFICENTISSIMO,
RINCIPE AC DOMINO,
DN.
WILHELMO,
ENBURG. ET ELECTORALIU
UM HEREDE, & reliqua,
IA FRIDERICIANA,
is Facultatis Juridicæ
RAESIDE
NNINGO Böhmer,
a Licenciato,
embr. MDCC. horis consueris
TORIO MAJORI
e disquisitioni subjcit
NDREAS KERSTEN,
Magdeburgensis.
PH. ANDREAE ZEITLERI, Acad. Typogr.